

II n
8497

Q.K.
517.
17.

IVSTO MEIERO, NO
VIOMAGO, SECVNDAM LAVRE-

AM SVB SPECTABILI DOM. DECANO,
Ioanne Ludovico Hauenreutero, Me-
dicinae & Philosophiae Doctore,

V. CALD. APRIL. Anni

1587. consecuto, gra-
lantur amici.

X 2002430



ARGENTORATI
Excudebat Carolus Kieffer.

M. D. LXXVII.

IVSTO MEIERO NOVIOMAGO
de secunda laurea gratulantur.

Sæpius ut dixi nunc tandem, IVSTE, labores
Sedule post varios, præmia justa capis.
Et meritò: nam sedulitas, pietasq; ministris,
Distribuant tandem præmia justa suis.

Ergo recusaret, quis tot tantosq; labores?
Quis non sufferret verbera mille puer?

Quis non discendo libros evolveret omnes?

Quis Clarij fugeret docta Lycæ a DEI?

Quis crebros capitis cruciatus sæpè timeret:

Cùm videat doctos præmia tanta sequi?

Tu, licet intuitu primo fera bella, cierent

Quæ vinci fuerant ardua monstra tibi:

Mox tamen ingenti certamine atrocia cuncta

Vicisti: quare justa trophæa capis.

Quam vastum, ô, tibi curarum prius æquor arandû,

Hæc donec caperes nomina justa, fuit.

Crede mihi, has curas vincit vix vnus & alter:

Doctus & in terra est rara magister avis.

Musarum multi incipiunt ascendere montem:

Atq; volunt studijs invigilare bonis:

Contigit at paucis Heliconis adire cacumen:

Et sua Castalio labra rigare vado.

Nam sopor & segnis torpor, fallaxq; voluptas,

Et Venus & Bacchus grandia damna parant.

Est commune malum, toto quod regnat in orbe:

Nolle magistrorum frena se vera patj.

In felix lolium, cum spinis crescit vbiq;:

Optimaquæq; cadunt: pessima quæq; manent.
Hæc tu vicisti, (ut repetam) nunc omnia I V S T E:
Hinc post densa tibi nubila Phœbus adest.
Aonijs felix superasti culmina montis:
Nil labor & curæ nil uocuere graves.
Nil gravis anxietas nocuit, nil pessima quæq;
Vicisti fuerant quæ superanda tibi.
Nunc juvenis celebris toto celebraberis orbe:
Nunc inter doctos nomina iusta geres.
Ergo tibi ex animo, cordisq; recessibus imis
Gratulor, ô cordi semper amate meo.
KELLERMANNE bonos inter numerãde patronos,
Cura quibus pietas, Pegasidumq; chorus.
Felix cum videas, cognatj præmija I V S T I,
Iusta tui: cur non plaudis utraq; manu?
Non te pæniteat sumptus, quem sumis in illum,
Assiduus doctos perlegit ille libros.
Nunquam præ subito noctesq; diesq; labore,
Pulverulenta ejus Bibliotheca fuit.
Infelix, M E I E R E, pater: quem Belgica tellus,
Effuso multo sanguine dira, videt.
Infelix nimium, cui tristia fata negarunt,
Præmia nunc I V S T I iusta videre sui.
Sed meliora D E V S tibi det. Tu I V S T E Magister
In studijs ceptis seditule perge tuis.
Non tamen elata stolidè mox fronte superbi;
Odit enim elatos destituitq; D E V S.
Et stygia est pestis donis efferrier altè:
Quæ juvenes multos perdidit atq; senes.

A ij

Tandem te moneo (iustum tibi svadeo I V S T E)

Papise quos vita Cinglicolasq; viros.

Hæc cantare tibi tenuis mea Musa volebat:

Vellem si possem scribere plura, vale.

Amoris ergo

Andreas Irfamerus Ecclesiæ Germanæ &
sinceræ Palatinopoli minister.

E I D E M.

Instas, ut tenuj celebret mea carmine Musa:

Quæ nunc pro meritis præmia digna refers.

Difficile est quod Amice petis: nam carmina lætum

Sunt opus: & lætos scribere læta decet.

Me juvat aduersæ sortis plorare procellas:

Nomen & erepti dulce dolere Patris.

Tristia fata vetant, vetat & lachrymabile tempus

Ludere quæ velles: ludere cogit amor.

Nec mea te poterit versu celebrare Camæna,

Laudesq; augustas amplificare tuas.

Quàm mihi sit sterilis nosti, quàm dura Minerva:

Inq; suos veniant verba coæcta modos.

Nobiliore cani meruisti carmine: id ipsum

Qui faciant, alios Phæbus Apollo dedit.

Ergo ne me victum patiar? non: vota supersunt:

Flagitat hæc pietas, hæc socialis amor.

Gratulor hunc titulum tibi, mi Iustissime I V S T E,

Quem peperit constans sedulitate labor.

Id

*Id quod cuncta beat, beet hos quoq; Numen honores:
Vt mea mens optat candida: I V S T E V a l e.*

M. Marcus Florus Argen.

E I D E M,

Οὐ τοι, ὦ φίλε μὲν, ἀλιός, κάματοσσι ποσειδάων,
σὲ ἐνὶ τῷ ἀγρῷ ἀνθεμόεντι πέλεν.
Τέτων γὰρ νῦν καρπὸν ἔχεις, καὶ ἄξιον ὄνον:
ἔνομι' ἀγάκλειτον, κῦδ' ἀπειρέσιον.
χαῖρ' ἐν τῷ θυμῷ: ἐπεὶ ἐπάντεσσι Γεωργοῖς
ἀντὶ πόνου ὄλβον τίνδε δίδωσι Θεός.
Ἀλλ' ἀγαθὴ ἔς ἡ κομιδὴ ἔχει ἀμφιπολῶειν
Ἄονιδων μεσῶν ὄρχατον εὐκλόμενον.
Οἶδε Δίκαμοι γὰρ μόνοι, ὡς σύπερ, εἰσι Γεωργοί,
καὶ αὐτῶν ἔργων ἔδε τυχεῖσι κλέεσσι.

M. Ioannes Linck Mei-
ningensis.

E I D E M

Cum tibi, cumq; tuo carmen meditatus honorj,
Disparibus vellem verba ligare modis:
Astitit ecce mihi, Tyrio velamine cincta,
Et retulit tales Pieris orsa sonos:
Tene super vacuo iuvat indulgere laborj?
Littus inutilibus bobus arare placet?
Namq; quid est aliud, Meiero scribere carmen,
Quam vel in immensum flumina ferre fretum?
Frondebis ante nemus, folijs vaga sylva carebit:
Ante thymj succo destituentur apes:
Quam veniat doctj penuria carminis illj;

A ij

~~Pauper ut indigeat versibus ipse tuis.~~
Sic ait: & vacuas iterum secedit in auras:
Et mea purpureus possidet ora pudor.
Haud tamen abstineo ceptam pertexere telam:
Verba licet cursu pauperiore fluant.
Tu precor interea, dum divitiore ferantur
Flumine, quæ trado, consule scripta bonj.
Turba Medusæis, tibi sic, quæ præsidet undis,
Flumina Castaliæ plena ministret aquæ.

Christophorus Kirchnerus
Smalcaldensis.

PAUCA tibi scripturus eram modò carmina, docte
MEIERE, in laudes officiosa tuas.
Vix opus aggresso, sese mihi DELIVS offert:
Fundit & ambrosio talia verba sono:
Quid Fischere facis? studium quid inutile tentas?
Quid vires ultra suscipis alta tuas?
Est mihi sat, reliquisq; meis sat cognita Nymphis
MEIERI virtus, ingenijq; vigor.
Desine plura: tuis non indiget ille Camænis:
Nomina cui Musæ tanta dedere novem.
Desine: non opus est, multis extollere, cunctis
Quod patet; & media luce nitere solet.
Ergo licet partæ possim nihil addere laudi:
(Materia vires exuperante meas)
Tanta tamen MEIERE precor fastigia, donent
Ut tibi perpetuæ fertilitatis opes.
Utq; vel exuperes divinum laude Platonem:
Vel fias magno maior Aristotele.

Ioachimus Fischerus Burgensis Saxo:

E I D E M.

Quotcunq; aspicient, hos mirabuntur honores
Quos capis ingenij commoditate tui.
Scilicet ut flores quos hic lætissimus annus
Producit, mentem lætificare solent.
Sic studium atq; labor, cum sit, superatus ab alto
Ingenio, vires mulcet honore tuas.
Quid mores igitur, comptus vestitus adornat?
Nil nisi quod, MEIER, mens quoq; compta tibi.

Ioannes Seitz VVidernensis.

E I D E M.

Sint licet exiguae mihi, IVSTE, in carmine vires:
Obstruat & venam Cynthius ipse meam:
Non tamen, ex animo, possum, quin grater honores,
Quos tibi dat Phæbus Piëridumq; cohors.
Nam tua me pietas hoc iussit, amorq; fidelis:
Iussit & hoc nostræ fædus amicitiae.
Vrsellis olim, quæ nos puerilibus annis
Iunxit; quam neuter disimulare potest.
Interea illorum tibi quæ superesse videntur,
Lætos successus, opto, precorq; DEVM.
Et magnis titulis, quos confert doctus Apollo,
Vt possis placida sorte, diuq; frui:
Te super adveniat Domini indulgentia larga:
Immensaq; sua te bonitate regat.
At tu, tardigrado gressu dum cochlea terram
Transseat, ex animo vive, valeq; tuo.

Martinus Orthius.
Bornensis.

E I D E M.

Ipse dum mecum reputo superbæ
Quid gerant mentes hominum, laborum
Ut ferant fructus, capiantq; summæ

Nomina laudis.

Aut avent Martis trepidè subire
Castra, vel ferrj strepitum tubasq;
Horridas audire, simulruentes

Cernere turbas.

Aut avent gazas, & opes labore
Quærere immenso, mare per solamq;
Nec furens unquam metuisse sæuis

Fluctibus æquor.

Talis at Meiere cuius cupido
Mentibus nunquam fuit: ast celebres
Nominis iudic titulos nouamq;

Quærere famam.

Hinc tibi Phæbus titulos perennes:
Hinc Magi nomen tribuit, nouaq;
Gloria exornans, sat in eminentj

Sede locavit.

Quod tibi nomen, decus atq; fama,
Ut fiet felix patriæ, tibiq;
Opto devotis animis: pioq;

Gratulor ore.

Iohannes Exius Burgenfis

F I N I S.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Q.K.
517.
17.



IVSTO MEIERO, NO
VIOMAGO, SECVNDAM LAVRE-

AM SVB SPECTABILI DOM. DECANO,
Ioanne Ludovico Hauenreutero, Me-
dicinæ & Philosophiæ Doctore,

V. CALD. APRIL. Anni

1587. consecuto, gra-
lantur amici.

X 2002430

II n
8497



ARGENTORATI
Excudebat Carolus Kieffer.

M. D. LXXXVII.

